Hec etiam ascensio salvatoris iam prefata
Olim fuit in translatione Helye prefigurata
Helyas propheta legem dei in iudea predicavit
Et transgressores legis et ydolatras audacter increpavit
Propter quod sustinuit a iudeis magnam persecutionem
Sed apud deum meruit in paradysum translationem
Ita ergo cristus eciam veritatis docuit
Et propter hoc a iudeis multas persecutiones sustinuit
Sed deus illum super omnes celos exaltavit
Et nomen quod super omne nomen est illi donavit
Ut in nomine ihesu omne genu flectatur
Et quod in gloria dei patris esse omnis lingwa confiteatur
Vide homo quantas xpus sustinuit persecutiones et quanta
Postquam veniret ad celestem exultationem
Si oportebat xpm pati et ita in gloriam suam intrare
Multo magis oportet nos propter regnum tribulationes tollerare
Cristus qui nunquam peccatum fecit magnam sustinuit passionem
Et nos propter regnum dei nobismet sustinere parvam tribulationem
Et vere modicum est et quasi nichil quod hic sustinemus
Respectu eternorum premii quod ~~hic sustinemus~~ in futuro recipiemus
Sicut minutissima [i. parva] gutta respectu omnium fluviorum
Ita est omnis tribulacio huius vite respectu eternorum premiorum
Si totum gaudium terre tanquam stelle multiplicaretur
Absinthium respectu minimi gaudii celi reputaretur
Si altitudo orbis et firmamenti essent unum pergamenum
Magnitudo minimi gaudii non posset in eo describi ad plenum
Si omnis aque in incaustum essent totum illud consumerem
Antequam minimum gaudium describerem
Si omnia ligna gramina herbe essent calami scriptorum
Si omnes homines et angeli doctores essent
Pulchritudinem dei et celi enarrare non possent
Si quilibet pulvis terre esset millesies clarior sole
Tenebre essent respectu divine claritatis comparatione
O bone ihesu da nos illud taliter aspirare
Ut mereamur ibi imperpetuum tecum habitare

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0191
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg